

nia
at
28.
e. C.
nec
de
IS,
m
ut
ve
ru
to
er
ue
u
35

FACULTATIS JVRIDICÆ
IN ALMA AC PERANTIQVA UNIVERSITATE
ERFORDIENSI

H. T.

DECANUS,
JOH. HENRICUS
Seier, JC^{TUS},
ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIA. DECRE-
TAL. PROF. PUBL. UNIVERSIT. SENIOR, NEC
NON JUDIC. PROVINC. ASSESS.
EMER. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

LEGATATIS IARIDIGE
IN ALMA AC FERDINANDOVIA UNIVERSITATE

ERRODIFIENS

H.T.

DECANUS.
JOH. HENRICUS.

DECORIUS.
ELFICITORAL RECIMIN CONSILIA. DECRA.
TAL PROB. PUBL. UNIVERSIT. SENIOR. NEC
NON IUDIC. ILLUCIAC. ASSER.
EMER. LIMMARI.

DECORI. ANNATO.

282.

Joh. GROSCHIANS. Vag. Thabor.
ELFICITORAL.



Rætorum munus quondam Romæ
perquam grave & dignitas eorum
non erat inanis, nam teste Ulpiano
in l. 2. §. 1. ff. de his qui notantur infam.
non modo S E L L A usi sunt C V R R V-
L I, quam sex Lictores cum totidem
Securibus & Fascibus præcedebant,
tradente Polybio & Plutarcho; qui Prætorem idcirco
appellant M A G I S T R A T U M S E X - S E C V R V M. Ipsi quo-
que competebat T O G A P R Ä T E X T A, in quâ idem, alii-
que majores Magistratus sepiliebantur, hōc enim insigni
Prætextati cremabantur mortui ait Plin. lib. 34. dec. 4.
uti hodie cum Pallio humanunt Archiepiscopi. Cap. 2.
X. de autor. Et usū pall. Consulem Romanum & Praetoi-
rem denominat quoque Polybius specialiter πειρωφόρος.
Hujus Prætorij insignis memoria adhuc superest in l.
1. §. ff. de postul. Sumnit etenim à Prætore originem,
quod quotannis in primordio magistratus in Albo, pu-
tā degypsato muro proponerent jura, quæ durante of-
ficio observari jubebant. Cum verò subinde in mu-
tandis Edictis existerent ambitiosi, & nonnunquam ea-
dem in quorundam gratiam, aliorumvè invidiam de-
flecterent; Imperatori Hadriano variatio hæc displi-
cuit;

(2

uit, & cuncta brevi libello complexus est; quo tandem
data occasio, ut jussu Justiniani per Salvium Julianum
componeretur Edictum perpetuum *l. 10. Cod. de condit.*
indeb. ea propter, ne Prætores sua Edicta, porrò mu-
tarent; neutquam verò iis, ne nova amplius conde-
rent, hæc demta fuit facultas; veruntamen Prætor,
tanquam viva Vox Juris & æquitatis Custos, prout sibi
expedire videbatur illud aut ob duritiem corrigebat,
aut ob defectum supplebat, aut ad effectum adjuvabat.

§. 7. Inst. de jur. N. G. & C. Quamplurima igitur
Prætorum Edicta ante Impp. tempora edita fuerunt
& pars Juris ordinarii facta, ut ex Edictis hisce Juri no-
stro bonum accesserit incrementum, quemadmodum
abundè videre est tam in *z.* quām Cod. Interquæ hæc-
cè eminet Edictum hoc in utraque Juris parte, sub ru-
brica *de Nov. Oper. nunciat.* Ubi varia notati digna
occurrunt, agitur enim de OPERE NOVO, adversus
pristinam rei formam facto, germ. Neuerlich Werk,
quod nimirum, vel clam in solo *l. 51. aliis ff. quod vi aut*
clam. Vel in Opere, quod est in solo, *l. nam et. eod.*
putā, si arbores ex solo succiduntur; *l. 13. eod.* quarum
de causâ utile comparatum est interdictum & ordinariè
illud censetur esse restitutorum, quo novum opus de-
struatur, restauratà priori rei formâ; vel civiliter ad obti-
nendum hoc, quod domino propter tale illicitum factum
abest, tam ratione ejus, quod ipsius primariò interest,
quām sumtuum *l. 11. §. fin. l. 13. §. si ex sociis. ff. quod vi*
aut clam. Sin Colonus, qui fecit opus tale, injussu do-
mini, ipse tenebitur ratione damni & impensarum;
dominus duntaxat, ut patientiam demolitionis præstet,
d. l. 13. §. fin. l. 14. §. fin. eod. l. quang. §. idem Julianus de
aqua plur. arc. Sin Inquilinus, domino inscio, hujus-
modi

modi quid ausus est, idem statuendum l. 18. §. 15. cui. ff.
quod vi aut clam. Hoc immotè tenendum, restitutorium
hoc interdictum semper dari contra operis possessio-
rem l. pr. 15. eod. Idem, nunciatione factâ, competit
contra eos, qui opus fecerunt, quorumve jussu factum
est, l. 5. §. hæc verba; & l. seq. l. qui puterum. 11. §. si tu-
res. eod. rit. In hæredes, atque alios successores da-
tur in id, quod ad eos pervenit, verummodò intra an-
num; l. 15. §. 3. ff. quod vi aut clam. incipit autem hoc
tempus ex quo id opus perfectum est, aut fieri desit,
licet etiam perfectum non sit; non verò à tempore,
quo fieri coepit. add. l. 22. pr. ff. d. r. quod vi aut clam. l. 14.
pr. ff. de aqua & aqua pluv. act. Edictum enim hoc ten-
dit eò, ut factum opus tollatur & restituatur ad pristinam
formam l. 1. §. hoc interd. ff. quod vi aut clam. atque in eo
tantilis estimatur, quanti interest, opus factum non esse
l. semper §. in hoc interd. d. r. Si quis autem propter
tale novum opus fortè jus fundi, vel servitutis amise-
rit, restitui id ex hoc interdicto debet l. 20. §. fin. ff. d. r.
quod vi, aut clam. atque fructus omnisque causa, l. 38. §.
possess. vers. Interdicto ff. de usuris & fr. Plura, quæ hic
allegari potuissent, studiosè observaturus & proposi-
turus est pro Cathedra ad L. un. Cod. de nov. operis nun-
ciatione

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. AVGVSTVS HENRICVS Wunderlich
Rochsburg-Misn.

Patriam sortitus est per nascendi fortem, quæ die XXII.
Febr. Ao. Chr. MDCCV. accedit, Rochsburgum, locum
amoenissimum Provinciae Misniæ, prope Moldaviam
Schneebergensem, ubi Illustrissimus Comes de Schö-
burg,

burg, Dn. AVGUSTVS ERNESTVS, susceptor
ex fonte lustrico suis Gratiissimus, ubi Ipse & residet:
Patrem veneratur Virum Consultissimum, JOANNEM
WUNDERLICHUM, JCtum, Consilarium Illustrissi-
morum Comitum de Schönburg, & tunc temporis
Præfecturæ Rochburgensis, jam vero Waldenburgens-
is Præfectum; Matrem, MARIAM ELISABETHAM,
B. PHILIPPI KROEBERI, Pastoris primarii Lesdensis
quondam optimè meriti, filiam. Prima cura Paren-
tum optimorum fuit, ut ipsum pietatis & litterarum
studiis imbuerent: Traditus itaque est fidei optimo-
rum Magistrorum GOETZINGERI, HARNISCHII &
NAVMANNI; quorum primus nunc Concionator au-
læ Illustrissimi Comitis de Schönburg & Pastor Wech-
selburgensis; secundus Diaconus Kursdorensis; tertius
vero Pastor substitutus Flemmingensis. Inprimis autem
NAVMANNO multum se debere, oppidò profitetur;
Uberioris deinceps cultus capessendi causâ in celebre
Fridericianum, quod Altenburgi floret, sese contulit,
& Præceptoribus usus WILISCHIO, qui postea digni-
tatem concionatoris aulici Serenissimi Ducis Gothani
accepit, nunc vero sacrorum apud Freybergenses, gra-
vissimum antistitem agit; ACKERO, FRISIO, STER-
NIO, WEBERO & WAHLIO, inter quos tertius ac ul-
timus jam piè fatis cesserunt. In hoc Lycæo tanta
incrementa cepit, ut triennio præterlapso dignus ha-
beretur, qui Academicarum disciplinarum studia in-
grederebatur. In numerum igitur Civium Academiæ Li-
piensis Ao. M DCC XXII. receptus, Philosophiae pri-
mum & iis, quæ ad humanitatem pertinent, studiis
prianiuum excoluit diligenter, & scholas Virorum Clas-
sissimorum RÜDIGERI, D. AVGUST. FRID. MÜLLE-

RI

RI & POLYCARP. MÜLLERI, qui eo tempore extra
ordinem Philosophiam docebat, nunc Zittaviae Re-
toris munus egregie sustinet, assidue est secutus.
Postea se totum Jurisprudentiae studio dedit, ac An-
tecessorum & Doctorum, qui tum Jura profitebantur,
MENCKENII, GRIEBNERI, OLEARII, RECHENBER-
GII, HOFFMANNI, SCHVBARTI, KÜNHOLDI, RI-
VINI, WEIDLINGII, STICHLITZII, MASCOVII,
KÆSTNERI & BAVERI tam publicis, quam privatis
lectionibus interfuit; In primis vero fidelissima insti-
tutione Viri Consultissimi Dn. D. SIEGELII, qui usque
ad hoc tempus apud Lipsienses non sine applausu le-
gum cupidæ Juventutis in jure tradendo operam dat,
nec minus cum laude in Foro versatur, usus est. At-
que his fidelissimis Ducibus Juris universi cursum feli-
citer confecit. Antequam vero ab Academia sece-
deret, specimen quoddam diligentiae Academicæ sub
Præsidio B. MENCKENII edere voluit, Programma et-
iam ad hanc dissertationem jamjam valvis publicis af-
fixum fuit; ast mors hujus Viri Summi inopinatè su-
perveniens hoc propositum impedivit. Post elapsum
itaque quadriennium, & plus quam anni dimidium
Ao. M DCC XXVII. ad lares patrios reversus eo ani-
mo, ut quarta anni elapsa Dresdam se converteret, &
quasi in sede Præcos sub manu ductione Viri cujusdam
Consultissimi prima ejus principia addisceret, post anni
vero dimidium ab hac urbe rursus secederet, & summos
in utroque Jure honores adquirendi causas peranti-
quam Hieranam nostram adiret: Ast infelix incen-
dium, quod totam fero urbem Waldenburgum, una
cum ædibus patriis & maxima parte bonorum, con-
sumpsit, effecit, ut propositum hoc mutaret. Hic sub

au-

auspicio Virorum Præclarissimorum BÜRCKNERI &
KLÜGELII, Præfecti & Præfecti Adjuncti optimè me-
titorum, in Praefectura Electorali instar militis volun-
tarii in praxi se exercuit. Peracto hic anno, id, quod
ante annum erat propositum, iterum ei in mentem
rediit, ita ut ad illud exequendum se jamjam accinge-
ret, & omnia ad iter suscipiendum præpararet: Sed &
hac vice febris tertiana, morbus non tam periculosus,
sed graviter molestus proposito suo remoras quasdam
fecit. Nihilominus & hic casus adversus ipsum à pro-
posito non deterruit, simulac jigitur à febri liberatus
vires recuperavit, itatim iter aggressus, ad honores pro-
pinquum, Nobisque obtulit petitorias, quibus desidera-
vit, quod sibi panderetur examen Candidatorum, prius
transmissis ex Canon. & Civili Jure texi. Hoc probè
sustinuit, ac pròpterea quoque admissus est, quod publi-
cè è Cathedrâ, solenni & recepto more ad antè cit. L.
un. Cod. atque Inauguralem Dissertationem, sistentem
COMMENTATIONEM IN PACTA DOTALIA ILLV-
STRISSIMORVM COMITVM DE Schönburg, haberi
possit. Quibus actibus publicis destinatus est dies pro-
ximus Lunæ 13. Decembr. cur. adhuc anni. Quam ce-
lebritatem ut Magnif. Dn. Universitatis Rector & ejus-
dem Proceres, nec non Nobil. Domini Jurisprudentiæ
Cultores sua præsentia in Auditorio Juris Collegi majoris
dignari velint, officiosè invitantur & rogantur.
Publ. Erfordiæ sub Sigillo. Facult. Jurid. 12. Decembr.
Ao. M DCC XXVIII.

(L. S.)


ULB Halle
005 355 63X

3



B.I.G.

Black



35
FACVLTATIS JVRIDICÆ
IN ALMA AC PERANTIQVA UNIVERSITATE
ERFORDIENSI

H. T.

DECANUS,
JOH. HENRICUS
Seier, JC^{TUS},
ELECTORAL. REGIMIN. CONSILIAR. DECRE-
TAL. PROF. PUBL. UNIVERSIT. SENIOR, NEC
NON JUDIC. PROVINC. ASSESS.
EMER. PRIMAR.

LECTORI BENEVOLO

S. & O.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.